



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De magna humilitate sancti Francisci. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ne carnis, & abiectione omnis temporalis honoris. Quid plus super hæc omnia? Perfectus amor Dei & proximi, sine aliquo lucro terreno & proprio commodo, Christo seruiendo in hoc mundo. Quid inter multas reuelationes sibi à Deo factas magis docuit & commendauit fidelibus Romanis, Corinthijs, Galatis, & cæteris omnibus in vniuerso orbe constitutis? Iesum Christum, & pro nobis crucifixum: pro quo ipse multa pati oportauit, & mori non formidauit; quia sacra stigmata passionis eius quotidie in corde & corpore suo pro nominè eius & amore portauit.

C A P V T V.

De magna humilitate sancti Francisci.

¶ **H**ic est, qui contempsit vitam mundi. Quid fecit humilem & sanctum Franciscum tam deuorum & Deo dilectum in hac vita, & tam altum in gloria? Verè profunda humilitas sua; & quia inter omnia beneficia diuina & exercitia quotidiana, passionem Christi & sacra vulnera doloris eius immensi amoris plena, in mente portauit, recoluit, condoluit, grauissimè ponderauit, amarissimè fleuit, & ardentissimè amauit. Nam magna gratia confertur humilibus, & passionem Christo quotidie recolentibus. Verus enim humilis non se reputat nec eleuat de bonis, quæ facit: sed omnibus viliorē se æstimat, & cunctis inferiorē veraciter confitetur. Hic propria mala sua inspicit & plangit, & aliorum bona videns congaudet, pro quibus Deum laudat & benedicit, orās, ut sui misereatur, & se à malis liberet.

C A P V T V I.

De bona imaginatione contra malum.

Matt. 16.

¶ **V**ade retro Satana. Omiles Christi loquere hæc verba contra omnia mala phantasmata diaboli. Nā armata, sunt sancta verba & opera Christi. Igitur contra ignita carnis iacula, pensa amara Christi vulnera. Contra tædium cordis, sit semper in ore dulcis Iesus. Contra omnes malas suspiciones & indignationes tuas de aliis, cogita omnes culpas tuas, quas fecisti ab initio natiuitatis tuæ usque modò, & desiste indignari. Sint omnia bona tua aliis communia, & ad laudem Dei facta; sed mala tibi soli imputa, & ad feruenterem emendationem converte.

Immisiones cogitationum malarum vmbone bonarum repellenda, præcipue verbo Dei.

2. Dum vacat tempus & hora ab externo labore, sit protinus psalmus & laus Dei in corde & in ore. Cor non potest diu quietescere, nec lingua tacere; aut enim bona aut mala imaginatur, aut Christia pensat, aut læta reuolut, sicut molendinū quod à vento moue-